LUGUET

Johannes a Ruppella doctrina

Psychologica

FRATRIS AC MAGISTRI

JOHANNIS A RUPELLA

EX EO LIBRO HACTENUS INEDITO CUI

SUMMA DE ANIMA

TITULUS INSCRIBITUR

PSYCHOLOGICAM DOCTRINAM EXPROMPSIT

Henricus LUGUET

« Johannes de Rupella, ordinis fratrum minorum, sacrae Theologiae Magister Parisiensis ; in divinis scripturis eruditus et in Philosophia Aristotelica magnifice doctus. »

(Trithemius : de Scriptoribus Ecclesiasticis — Parisiis MDXII, fol. CI.)

EDEBANT LUTETIAE PARISIORUM

A. DURAND et PEDONE LAURIEL

Bibliopolae

9, VIA CUJAS

—

MDCCCLXXV

EXCUDEBAT MEDIOLANI SANTONUM

A. GAY & C°

VIA DICTA COURS NATIONAL

—

MDCCCLXXV

INDEX CAPITUM

SAINTES. — IMPRIMERIE A. GAY ET Ce, COURS NATIONAL, 63.

ERRATA

		LEGE
P. 10. — Lin. 30	entra	contra
P. 39. — Lin. 5	Multi	[Multi
P. 42. — Lin. 22	simplicem	*adde* : esse
P. 47. — Lin. 9 et 10	ilceat	liceat
P. 50. — Lin. 3	unde	quod
P. 64. — Lin. 17	quod (deleatur.)	

JOHANNIS VITA

JOHANNIS VITA

Postquam in *Opere Conformitatum* provinciae Turonensis *Custodias* designavit Bartholomæus Pisanus, mox de Fratribus sententiam prompturus, addit, in ea regione floruisse Magistrum Johannem de Rupella qui scientia et vita enituit(1). Vir ille nostras igitur non secus ac nonnulli quos ætas media jactat doctores, a municipio suo nomen invenit (2). Atque utinam ea quæ pertinent ad ortum ejus non minus nos laterent! Neminem enim huc usque quo potissimum anno natus fuerit penes fuit pronuntiare; multa suadent tamen ut credamus eum infantem fuisse, cùm Johannes rex Angliae et Philippus-Augustus inter se bellarent.

Faventibus Monachis ordinis Sancti Benedicti,

(1) Vix anni 128 post Johannis mortem elapsi erant, quum opus Bartholomæi Pisani anno 1385 inceptum approbatum fuit per litteras Capituli generalis apud Assisiam habiti sub Fratre Henrico datas die 2a mens. Augusti ann. 1399.

(2) V. D. Antonini Archiepiscopi florent. op. (Lugd. ex officin. Juntarum MDLXXXVII, part. 3a histor. Tit. 24, cap. 8, § 1.)

Cf. B. Hauréau : Bernard et Thierry de Chartres (Mémoire lu à l'Institut, le 13 avril 1872. P. 7.)

qui, S. Johannem de Angeriaco incolentes, in omnes liberalitate utebantur, ab anno 1225 Fratribus minoribus licuit in eadem urbe manere. Rupella autem non ante annum 1229, Guilielmo Arberto Majore, fratres minores vidit intra mœnia sua sedem statuentes.

Circa annum 1231 Sancti Dominici fratres duas jam scholas Parisiis habebant, nec non eodem tempore fratres minores scholam aperuerunt cujus moderandae provincia Alexandro Alensi mandata fuit, doctori qui pluribus jam abhinc annis maximam eruditionis opinionem habebat. Is non ita multo post quam in conventu minorum fratrum legere cœpisset, diu incertus haesit, quem baccalaureum instituendum universitati proponeret, atque die quadam ecclesiam intravit oraturus. Tum fratrem quemdam orantem capitique ejus splendidum lumen circumfusum et totam capellam radiis illustrans conspexit. Scilicet, is erat Fr. Johannes a Rupella, de provincia Aquitaniae (1), scientia eximius et sanctitate; qui postquam factus est magister, ut ait divus Antoninus, maximus praedicator evasit, tantaque ingenii vi se pollentem praestitit, ut, « priorum magistrorum subtilitati adjiciens praedicationis

(1) Provinciæ in Custodias, Custodiæ in Loca dividebantur. Atque adeo Custodiam santonensem exemplo apponemus quæ habebat : 1° Locum de Santonis. — 2. Locum de Rupella. — 3. Locum de Insula Olerum. — 4. Locum Sancti-Johannis. — 5. Locum Barbetilli. — 6. Locum de Pontibus. — 7. Locum Compniaci (V. Bartholom. Pisan. in lib. Conformitatum Beati Francisci. — Bononiæ 1590.)

et lecturae in theologica facultate artem, modos traderet exquisitos (1). »

Mox Sententiarum Magistrum sub Alexandro Alensi interpretari debuit J. a Rupella, utpote qui recens ad baccalaurei gradum esset provectus. Priore anno quo Licentiam obtinuit, Sacrae Scripturae studendo tempus trivit; altero autem anno quaestiones tractavit *quodlibeticas*. Eum deinde doctoribus annumeravit Philippus cancellarius, dum vacaret universitas, conventusque ad interrogandos candidatos haberentur, i. e., a 14ª septembris die ad 9ᵃᵐ diem octobris. Haec autem circa annum 1235 agebantur.

Non multi tamen elapsi sunt anni ante quam majores Johanni partes mandarentur; nam solennis habita est Parisiis disputatio de beneficiis (1238), ad quam ineundam vocati fuere a Guilielmo Parisiensi Episcopo, doctissimi viri, quos inter Johannes a Rupella eminebat. Solerti et valde longa hac disputatione probatum est duo beneficia non posse teneri, dummodo unum quindecim libras parisienses redderet. « Hoc determinavit praedictus episcopus; hoc frater Hugo ordinis praedicatorum, postmodum romanae curiae cardinalis, hoc frater Guerricus, et frater Gaufri-

(2) V. Sanctum Antoninum part. tert. histor. Tit. 24, cap. 8, § 1 (Lugduni ex officina Juntarum MDLXXXVII.) Notandum est alioquin Martyrologium anno 1638 Parisiis editum aliam lectionem ferre : « tantaque vi ingenii prædītus, ut priorum magistrorum subtilitati adjiciens, prædicationi et lecturæ in Theologica facultate, artem et modos traderet exquisitos. » (V. p. 43, ne te decipiat Arcerii error paginam 49 indicantis.)

dus ejusdem ordinis, frater Johannes de Rupella ordinis fratrum minorum, et alii quamplures magistri theologiae determinaverunt in scholis propriis successive (1). » Haec utique cum legibus a Ludovico nono edictis aptissime conveniunt.

Anno 1242, ut apud Waddingum legere est, Frater Alexander Alensis, Frater Johannes de Rupella, fr. Robertus de Bastia, fr. Richardus (2), habita cum fr. Gaufredo de Bria custode parisiensi collatione, ediderunt declarationem praepositam regulae quae vulgo sub nomine Quatuor Magistrorum circumfertur ; atque ea tradita fuit comitiis generalibus tunc Bononiae celebratis. (3)

Apud Gerardum de Fracheto qui scripsit vitas fratrum sui ordinis (Sancti Dominici scilicet), circa annum 1244 Johannis mentio incidit. Narrat enim Fratrem Willelmum de Melitona, ordinis Minorum, Magistrum in Theologia Pa-

(1) V. Lucam Waddingum. Ed. Lugduni (1647) ad ann. 1238. Idem subjungit disputationem habitam fuisse longam et multo solemniorem ante annos tres, in qua etiam omnes Magistri Theologiæ, exceptis duobus, determinasse probantur idem per omnia quod et supra, quorum unus fuit Magister Philippus cancellarius parisiensis, et alter Magister Arnoldus, postmodum Ambianensis episcopus. Porro ad rem pertinet apud eumdem legere quid profecerit prædictus Philippus quum dixisset se velle experiri *utrum damnabile* esset plura beneficia tenere.

(2) Seu Rigandus ut in manuscripto quodam invenies.

(3) Ea primum retulit Alvarus Pelagius ordinis minorum et episcopus Sylviensis seu Algarbiorum. Atque is quum ad annum 1320 floreret compositum librum de statu et planctu Ecclesiæ correxit ipse anno 1335. V. Bibl. nat. Parisiis n° 3197. Typis autem primum fuit mandatum anno 1474 operâ J. Z. de Rutlingen.

risiis (1), Dominicanos certiores fecisse, se nocte quadam vidisse in somnis dolium cristallinum vino optimo plenum. Quod quum audiissent fratres et Magistri Alexander et Johannes de Rupella, somnium interpretati sunt asserverantes aliquem Magistrum in Theologia brevi moriturum. Paucos autem post dies, fr. Guerricus de Sancto Quintinio, ordinis Praedicatorum, Magister Theologiae, defunctus est. Porro eum aiebat fr. Willelmus, propter bonam sapientiam, profundam humilitatem nitentemque doctrinam vere dolium fuisse cristallinum (2).

Postquam obiit Alexander, Franciscanorum scholis præpositus fuit Johannes qui secundus in ordine, ut ait Gonzaga, doctor evaserat (3) : quanquam ratione tituli primus fuit, nam doctor erat Alexander quum divi Francisci regulam est amplexus. Haud inepte igitur scripsit Caes. Egas. Bulaeus Johannem de Rupella primum Franciscanorum doctorali laurea fuisse insignitum.

Caeterum quum Johannis fama circumferretur, mox non tantum ejus provincia fuit discipulorum studiis invigilare, qui ad summos gradus provecti, ordinis decus adaugerent ; sed Clericis audientibus, Sermones habuit dominicales ;

(1) Alius codex fert : *magnum*.

(2) Gerardus qui se anno 1225 juvenem clericum profitebatur, chronicon scripsit ad ann. 1266 vel 1268. Defunctus est pridie nonas Octobris 1271.

(3) V. Gonzag.: de Scriptoribus franciscanis. Romæ 1587.

unde non parvam illi pietatis, eruditionis et eloquentiae laudem vindicare possimus. Porro ea circa annum 1249 agitabat, ut ex ipsius verbis conjicere licet, de *captivitate militum ultra mare* loquentis (1).

Id notatione dignum arbitramur quod quum vellet Universitas eo Sancti Dominici et Sancti Francisci Fratres adigere ut nomen suum subscriberent in codicibus queis ipsius privilegia in tuto collocabantur, tum Johannes Bonaventurae possessione cathedrae cessit (1253).

Martyrologium franciscanum fert anno 1271, obiisse *Rupellae, in territorio santonensi, Johannem confessorem et doctorem eximium qui zelo paupertatis et regulari observantia maxime emicuit* (2).

Non defuere scriptores qui duos viros Johannis a Rupella nomine appellatos fuisse contenderent. Arcerius scilicet in enumerandis iis qui Rupellam nobilitavere semper multus, nomina exaggerat ne quod forte omittatur. Atque adeo doctissimi viri du Bacq, ad Jaillot scribentis, auctoritate fretus, Johannem a Rupella unum socium ac magistrum in Sorbona floruisse; alterum autem Franciscanum fuisse docet.

(1) V. Serm. CXCIX, de Synodo.

(2) V. Arturum a Monasterio : Martyrolog. Franciscan. Parisiis 1638, p. 43; quæ quum ad 49 paginam legere voluimus, Arcerio auctore, frustra fuimus. — Alteram editionem appellat prædicti operis Prodromus (Parisiis in-folio 1663.)

Nullo tamen modo liquet qui conveniant ea cum titulo qui in codicibus manuscriptis inscribitur : *Fratris et Magistri Johannis de Rupella Ordinis Minorum Summa de Anima.* — Johannis fratris nomine Johannem ipsum a Rupella, apud Summum Pontificem a R. Bacone fuisse commendatum canonicus Cholet , vir eruditissimus opinabatur, diuque nobis spem injecit *fore ut locus ille uberrime a se tractaretur atque in tuto collocaretur.* Falsam, heu ! nam talem si quis etiamnunc prae se ferat opinionem, ad refellendam eam paucissima verba satis sint : lege sodes ea quae R. Baco praefatur in illo *Opere majore* quod in Clementis nomine apparuit. Porro anno 1267, Johannes ille cui Romam deferendi operis cura mandabatur a Bacone, adolescentulus ab eodem Magistro dicitur.

Proinde nonnulla ex manuscriptis Sermonibus excerpere licet quae ad vitam Johannis nostri pertinent. Sanctum Franciscum, scilicet, ter laudavit, qui anno 1228 in canonem sanctorum relatus est. Bis de reliquiarum translatione locutus est, quae anno 1230 loco motae erant. In sermone quo laudat Sanctum Antonium, 30ª Maii die inter sanctos canonice numerati, incidit aliqua mentio Theresae Lusitanorum regis filiae quæ anno 1240, secundum veteres Annalium scriptores, resurrexit. Aliàs, Asiae raptores appellat, qui in Europam anno 1244 irruperunt.

Quum nunquam Sancti Sacramenti solennis

anno 1264 ab Urbano IV instaurati in mentionem incidat, neque sanctae Trinitatis feriae commemorentur, conjicere licet Sermones ante annum 1260 fuisse habitos. Præterea, quis non miretur etiam sanctam Claram, cum Sancto Francisco et Sancto Antonio non fuisse laudatam, nisi succurrat ejus solenne inter sanctos anno 1255 canonice relatae post capitulum Narbonense fuisse celebratum (1260)? Sanctæ Claræ adeo varia nomina fuerunt ut vix ac ne vix quidem aequales tot vocabulorum sensus dignoscerent, quum Urbano IV jubente, *Filiae Sanctae Clarae* audierunt. Ergo ante annum 1264 Johannes loquebatur quum: *pauperes dominas, dominas inclusas* nuncupat.

Sermones legere atque assidue interpretari non solum ad Johannis vitam melius perspiciendam, sed ad mores ejus penitus noscendos operae pretium est. Ea videlicet in Sermonibus notatione prorsus digna videntur quod Rupellensis viri atque Franciscani monachi ingenium exhibent; ea manifesta erunt enim ei quicumque et rupellensis municipii et Sancti Francisci ordinis instituta pariter calluerit.

Caeterum loquentem ipsum inducamus. Omnia, vel praelatorum auctoritatem veritati postponit: « .... licitum est enim cuique pro veritate loqui; et praecellit veritas, quia in casu facit quemlibet subditum majorem quolibet superiore, quando scilicet subditus loquitur praelato ambulante contra veritatem, adhuc tamen si respondeat

prælatus sic : Excommunico te, vel suspendo, vel silentium impono, prævalebit et regnabit veritas in secula seculorum. (1). »

Ille qui fuerit electus, non ideo semper sanctus habebitur : « Bernardus ad quemdam episcopum : Si omnes quotquot eliguntur ad officium eliguntur ad regnum aeternum, securus est Coloniensis archiepiscopus, quod si Judas amatus a sacerdotio, et Saül a regno, cum quilibet eorum fuerit electus, profecto non est securus Coloniensis archiepiscopus (2). »

Quicumque veritatem prodiderunt vel praedicatores vel theologi, Judae proditoris similes dicuntur : « Sicut Judas proditor tradidit Christum ex cupiditate, sic quidam theologi addiscunt vel praedicant ex cupiditate veritatem, scilicet ut ditentur, et sicut Judas tradidit Christum osculo mentiens se amicum, sic faciunt isti. Datur osculum veritati, quando adducuntur auctoritates sanctorum et prophetarum ad testimonium ; sed hoc faciunt mala intentione, quia ex cupiditate (3). »

Adeo acriter principes et magistratus insequitur ut non semel veterum tribunorum vel, si mavis, Fratrum qui in Italia plebis incendebant animos, eloquentiam reddat. Invehitur etiam in Praelatos

(1) Serm. L.

(2) Serm. CXXV.

(3) Serm. LXIII.

qui impotentes dominantur, vel mollitie diffluentes parum curant animas, dum deliciis semper se dederint : « Gloriantur... in temporali potestate ut principes saeculares, ballivi et hujusmodi.

« Unde et de tyranno mortuo vel praelato oppressore potest accipi parabola quae est de rege Babylonis, Is. XIV dicitur : quomodo cessavit exactor, quievit tributum? et subditur responsio : Contrivit dominus baculum impiorum.... Panem pauperum defraudant, quicumque res Ecclesiae, quae sunt pauperum, in usus perversos expendunt. (1). »

« Jam enim domus episcopales, quae sunt extra civitates, quae instituae fuerant, ut vacarent contemplationi, deditae sunt carnali dilectioni. (2). »

« Mundus eligit sapientes, potentes, nobiles temporaliter. Sed Dominus eligit e contrario totum..... In hoc patet quod gigantes, i. e. fortes sive potentes non eliguntur a Domino. Statura magna ; ecce conditio nobilitatis. Sed haec statura excedit naturam. Nobilitas enim nihil est secundum naturam ; ex errore enim opinionis hominum nobilitas ejusmodi introducta est. Unus enim est omnibus introitus ad vitam, et similis exitus : et nullus e regibus aliud habuit nativitatis initium. (3). »

(1) Serm. XLVI et LXXXI.

(2) Serm. LXXXIX.

(3) Serm. CXXV.

Clerici scurrilia sectantur auditoribus blandituri; ambitione acti et avaritia opes tantum mirantur, et novis se vitiis contaminant, nepotibus suis omnia largiri gestientes.

« Ascendam super altitudinem nubium : hoc est, exaltabo me super excellentiam sanctorum virorum, de praebenda ad archidiaconatum, de archidiaconato ad episcopatum..... Item cupidi lucris temporalibus inhiantes nituntur ad temporalium opulentiam. (1). »

« Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos : et radices immundae super cacumen petrae sonant : quia, proh dolor ! hodie impletur in Ecclesia.

Nam nepotes impiorum inutiles in ecclesiam introducuntur; et radices immundae, hoc est, carnales et viles per luxurias, super cacumen petrae sonant i. e. super dignitatem Ecclesiae»(2).

« Heu nobis ! quia dati sunt principes pueri. Heu nobis iterum quia effeminati dominantur, carnales, molles; et etiam proh dolor! Sodomitae (3). »

Horarum canonicarum exsequendarum munus declinant stipendia nihilominus accipientes. Quin etiam, perdita nequitia in stupra prorumpunt viri ganeones potius quam presbyteri.

(1) Serm. CIII.

(2) Serm. C.

(3) Serm. CXXIV.

Magistris, quamvis doctor ac socius ipse, non parcit : illi sibimetipsis non constant, inquit, humiles nimis praelatorum assentatores.

« Nullas præbendas possidentes, sed *sunt* (sic) pauperes, condemnant habentes; et cum ipsi habent, defendunt, et praedicant (mentientes!) salvandos (1). »

« Quidam timent, ut magistri quidam, qui ita audacés sunt in cathedra ad prónuntiandum veritatem, sed post modicum sunt sicut canes muti, non valentes latrare in curia praelatorum (2). »

Philosophi superbia tument. Advocati injuriam ubique propagare certant. Ii reges cum regibus componunt, bella ex bellis serentes, nullibi vero res miscent ac perturbant magis quam quum in Capitulis comitia habentur. « Exibant de ore bestiae i. e. diaboli, tres spiritus immundi in modum ranarum, i. e. advocatorum injustitiae : et sequitur, ut congregarent reges ad praelium. Tanta est enim hodie multitudo advocatorum, quod totus mundus ebullit advocatos, sicut tota Ægyptus ebulliebat ranas in secunda plaga (3). »

Quamvis omnes vehementissime insectatus sit, nunquam tamen notari dignus habitus est, ni fallor; asperæ vero linguae pœnas dedisset, si unquam honorum et dignitatum cupidus fuisset. Iis

(1) Serm. LXXXIX.

(2) Serm. CXXXIX.

(3) Serm. CXXV.

tamen aequo animo caruit, illud praeceptum monachis ante oculos habendum jam ante professus : *pauca loqui, paucos familiares habere, multum orare.*

Quidquid docet in Sermonibus Johannes, Sacrae Scripturae ex fontibus magno labore hauserat, ut Postillae testantur. Atque eae, cum manuscriptis codicibus, sic se habent.

1° Postillae in Danielem (4 mss.) ;

2° In Matthaeum (10 mss.) ;

3° In Marcum (5 mss.) ;

4° In Lucam (2 mss.) ;

5° In Epistolam Pauli (1 ms.) ;

6° In Apocalypsim (1 ms.).

Commentarium in Sententiarum libros IV assidue exquisivimus hinc inde rimantes, sed adhuc frustra fuimus (1).

Quisquis volet Johannis totum opus complecti libellos addet qui *de Arte praedicandi* et *Processus sive modi negotiandi circa themata sermonum* inscribuntur : *Tractatum de Articulis fidei* : *Commentarium de Decem praeceptis*; *Summam de Vitiis*, *Summam de Virtutibus*, denique *Summam de Anima et Viribus ejus*, ad quam nostrum hoc opus spectare jam professi sumus.

(1) Circa ann. 1470 dixit Trithemius : *Edidit quedam preclara opuscula e quibus subjecta feruntur : super sententias libri quatuor.* — Imo apud Bulæum legimus : *Scripsit certe super Sententias libros quatuor.*

I

DE ANIMA

1. — Quid sentiat noster de Philosophia?

Commentarium Johannis in quatuor Sententiarum libros in manu habentibus magnum sane commodum accederet, quippe quibus facile esset tunc quod discrimen inter Philosophiam et Theologiam fecerit statuere. Non ideo tamen, si magni momenti opus ubique desideratur, de proposito nostro omnino conclamatum est. Nec tantum enim philosophatum esse Johannem jam scimus, Trithemio sic statuente : *eum in philosophia aristotelica magnifice doctum fuisse ;* sed Johannis ipsius testimonio satis liquet quales Philosophiae Theologiaeque partes attribuerit. Eae porro, ipso docente, quodam inter se societatis vinculo ita connectuntur, ut, Theologia Philosophiam perficiat, quae ipsius opera tantum valet consummari :

« De stellis philosophiae dicitur in IV ; Stellae manentes in ordine et cursu suo pugnaverunt contra Sisaram, quoniam non tantum Scripturarum auctoritatibus, sed etiam physicis rationibus haereses confutarunt. Sed notabile est quod dicit : in cursu et ordine. In ordine notatur quod non semper in studio illo sedendum est, sed quasi transeundo transcurrendum est ad theologiam. (1) »

Quatuor animalia magnarum Artium ordinem

(1) Serm. VI.

ab infimo gradu usque ad summum fastigium exhibent :

« Facies leonis comprehensionem figurat mathematicae, quae propter certitudinem demonstrationis, in modum leonis, nullam habet formidinem deceptionis vel erroris... Facies vero hominis comprehensionem philosophiae moralis quae actus humanos et mores informat, et ad quam pertinet notitia juris canonici et civilis. Facies vero bovis comprehensionem naturalis quia est animal deputatum terrae culturae, quae inter omnia elementa magis habet de materialitate... »

« Sic ergo tres facies inferiores triplicis philosophiae comprehensiones : mathematicae quae est in necessariis, moralis quae in probabilibus, naturalis autem quae in utrisque procedit. Per aquilae faciem desuper, philosophia rationalis quae, in modum aquilae, usum ingenii reddit acutum et caeteras dirigit et rectificat ; caeterae autem sunt reales. Super autem ista animalia eminet firmamentum, quia super has praecessit theologiae studium. »

Christianis hoc munus injungit ut Philosophiae studeant ; tunc saltem nemini fas erit dicere, ut in libro Regum : « Porro faber ferrarius non erat in Israël : cavebant enim Philistaei ne forte Hebraei facerent gladium aut lanceam. Fabri ferrarii sunt doctores philosophi qui inflexibiles et indomabiles dubitationes extendunt,

et in modum gladiorum ingenia faciunt, et quasi lanceis splendentibus, rationibus de longe feriunt. Cautela ergo daemonum est dissipare studium philosophiae, quia nollent quod christiani haberent acutum ingenium. (1) »

Quam philosophiae partem sequatur Tractatus de Anima profitetur auctor notae, (quicumque sit), quae verbo *explicit* subjungitur. Psychologia enim, illo judice, modo Logicae, modo Physicae, modo autem Metaphysicae subditur :

« Si quaeretur cui parti philosophiae supponatur tractatus iste, dicendum est quod anima potest considerari quantum ad rationem suae essentiae, hoc est penes esse vel penes nosse. Si consideratur penes nosse, sic quaestiones illae, quae ad hoc pertinent, sunt de consideratione Logici qui considerat res penes genera et differentias. Si vero penes esse hoc potest esse dupliciter ; quia aut penes suum esse relatum ad corpus, sic est de consideratione naturalis Physici qui considerat res prout ordinantur secundum causas inferiores. Si autem penes esse absolutum, hoc iterum potest esse dupliciter quia aut penes suam essentiam consideratam in se, et sic est de consideratione Metaphysici, cujus est considerare res aut penes suam essentiam prout est relata ad suum finem, et sic est de consideratione Theologi, cujus est considerare

(1) Serm. CXXXIX.

res prout ordinantur ad beatitudinem vel ad pœnam. Et sic diversis partibus philosophiae supponitur tractatus iste. »

Ergo quae ad Philosophiam et ad Psychologiam spectant breviter contrahamus : Philosophia Theologiae quasi atrium apud nostratem habetur; atque adeo philosophos carpit et impugnat qui scientiis ut vanis lusibus indulgent (1). Ne quis vero illius verba miretur; nempe aetatis mediae philosophi et monachi personam tuitus, semper sibi constitit. Psychologia autem quae nondum proprias sibi partes vindicaverat ad nutum uniuscujusque flectebatur. Imo, in caeterorum doctorum operibus grandi omnis generis disputationum mole oppressa atque obruta vix ac ne vix quidem, (ut apud Alexandrum Alensem videre est), parvum locum unde conspiceretur sortita est. Primus nostras eam eruit et seorsim tradit legendam. Quin, Logicae, Physicae, Metaphysicae aut Theologiae, delectu omni et discrimine remoto, illam subjungens, ipso facto vinculis liberat strictioribus. Tempus veniet tandem quum nullius erit, quae omnium juris fuerat.

2. Prologus. An sit Anima? Septem Animae definitiones ad examen vocantur.

(1) Inflati enim philosophi scientia carnali, non intellexerunt sacramenta Dei, in tenebris ambulantes. Nec hodie capiunt illud evanescentes in cogitationibus suis. Quis enim cognovit sacramentum glorificationis animarum et corporum ? » (Serm. LXXXIX).

« Si ignoras te, o pulcherrima mulierum vade et abi post greges caprarum. »

His Sacrae Scripturae verbis auditorem hortatur Johannes ut in sese descendat et animae substantiam, virtutem, operationem perspiciens, illius mirabilem pulchritudinem contempletur (1). Quam multi enim se ignorant; imo, seipsos fugiunt, extra hinc inde vagari gestientes; de unoquoque non secus ac de muta pecude dicere fas est :

Vivit et est vitae nescius ipse suae.

Tunc Magister sapientiam rogat, precaturque Deum Monachus, ut sibi adsit mirabilia retegenti.

Animam existere nemo dubitabit dummodo haec parumper velit attendere : quoniam corpora quaedam, ut lapides, neque nutriuntur, neque crescunt, neque motu voluntario moventur, plantas autem crescere et sibi similia generare videmus, aliaque etiam sentiendi facultate et motu voluntario sunt praedita ; tale agendi principium hac lege tantum corpori attribuendum esset ut in omnibus pariter inesset corporibus. Porro illud agendi principium apud omnes anima

(1) In Summa de vitiis quae interdum Alexandri sententiam et verba fideliter exprimit legere est : « Species ipsius animae similitudo Dei est. Et ab hac specie dicitur speciosa, et speciosior omnibus creaturis, sicut dixit sanctus Bernardus, in libro de diligendo Deo, exponens illud de anima : Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres, scilicet creaturas, egredere et abi.... »

In Patrologia (v. coll. Migne T. CLXXXII., col 974) invenitur liber de diligendo Deo. Videsis ad col. 976 verba ab hac lectione parumper discrepantia.

dicitur. Deinde ex omnibus praedictis animam vegetabilem in plantis, sensibilem in animalibus, rationalem in homine inesse jam colligendum est.

Praeterea Avicennae ratio animam existere evincit : pone hominem subito nasci omnibus facultatibus praeditum, hoc tamen pacto, ut, nullo sensu utatur; illum etiam orbatum eo sensu finge quo membra inter se aptissime concurrere et se mutuo contingere fiat certior. Potestne is de seipso cogitare? Ita vero. Quin, finge illum, manum suam vel suum cerebrum imaginari; neutrum certe istorum organorum essentiae suae necessarium esse autumare poterit. Porro essentia quae ab ipso et nunquam sejuncta affirmatur, ab eo certe non aliena est, dum corpus non affirmatur, unde contradictionis principium rationem suppeditat, qua, expergefactus tandem, certior fiat animam a corpore prorsus esse distinctam.

Celeberrimis tandem Sancti Augustini argumentis utitur sic statuentis : nihil magis menti praesto esse quam ipsam sibi, quippe quae vivere se, meminisse, velle, scire, judicare certissima scientia noverit. Item se quaerens, quaerentem se novit, se utique novit esse.

Varia haec ponderibus nostris examinantes videmus Johanni, (ut eum cum Magistro componamus), quinque argumenta ad confirmandam thesim suppetere ; ab Alexandro autem duo

tantum, ratiocinandi facultas, et internum agendi principium in medium conferuntur.

Vetus illud argumentum Aristotelicis e fontibus haustum in scholis etiamnunc vigere constat, quamvis animam vegetabilem, sensibilem et rationalem hodierni philosophi respuerint.

Utrum ea quae ab Aristotele et ea quae ab Avicenna mutuantur, optime dignoscant Alexander et Johannes, incertum esse arbitramur. Discipulum autem Magistri vestigiis insistentem deprehendere facile est (1). Hic tamen novatam illam probandi viam apud Arabum Doctorem non modo notavit, sed absque omni commentario retulit. Plane ergo assentitur positioni quae ad Condillaci statuam quasi proludere videtur. Miram sane methodum atque rationem seipsum inveniendi! Quasi vero aliquis se derelinquere primum valeat, ut deinde, distinctiuncularum in angustiis se ipsum redivivus recipiat. Atque utinam ea tantum ab Arabis essent mutuati Scholastici, divo Augustino potiusquam Commentariorum auctoribus parentantes!

Animae septem definitiones afferri possunt

(1) Alexander sic prior : « actus sunt praevii secundum rationem potentiis, potentiae vero ipsi essentiae. Ratiocinari enim discernere verum a falso et bonum a malo, artes invenire et interpretari, libere velle et ejusmodi, indicant aliquid esse principium in homine quod non est in animantibus, vel vitam habentibus. »

Johannem nunc audiamus : «.....et actiones quae sunt proprie hominum, sicut ratiocinari et intelligere, discernere inter verum et falsum, bonum et malum, adinvenire artes et conciliari, et libere eligere. Erit ergo in hominibus principium ratiocinandi et intelligendi quod dicitur anima rationalis. »

prout anima sola, vel solus spiritus, vel anima et spiritus simul examinantur. Itaque sapiens quidam in libro de Motu cordis : « *Anima est substantia incorporea, intellectualis; illuminationum quae sunt a primo ultima ratione perceptiva. Nam angelus suscipit lumen prima relatione a primo, homo vero dummodo ad Deum se converterit a primo suscipit ultima relatione; quia anima dum creatur lumen suscipit non autem percipit; quemadmodum caecus quamvis apricari gaudeat nunquam tamen solem fulgentem percipere potest.*

Praeterea agendi principium esse in corpore anima Remigio Altissiodorensi videtur, aut nautae in navi partes agere. Dein si ad actum corporis respicimus, perfectio ejus et forma dicitur, ut Aristotelis in libro de Anima : est enim actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis. Ea ut spiritus et anima dicitur ab Augustino : similitudo omnium; atque aliàs apud eumdem : substantia quaedam rationis particeps, regendo corpori accommodata. Si vero ad Deum spectas, anima est : deiforme spiraculum vitae. Nec moratur noster quin hoc ex Genesi exprom ptum verbum cum peripatetica doctrina aptissime convenire profiteatur : nam deiforme *rationalem*, spiraculum *sensibilem*, vitae *vegetabilem* animam exprimit.

Juxta Senecam tandem, quum Deum homini finem optimum esse proponendum arbitratur,

anima est spiritus intellectualis in se et in corpore ad beatitudinem ordinatus.

Quandoquidem illas definitiones luculenter a Johanne illustratas in nostro Opere legere est (1), quid sibi, quid caeteris debeat, perpendere nunc e re esse arbitramur. Ac primùm Albertus Magnus Alexandrum et Johannem eo antecellit quod, Aristotelis exemplum secutus, veterum sapientum sententias retulit. Utrum poterit sine periculo linguae graecae studio vacare, utpote qui regulam amplexus fuerit ordinis qui Sancto Officio addictus nullam sui famosam opinionem facere apud quemquam poterat ? An proprio motu quae erant omnium in manibus in medium contulit ? Incertum est. Priori tamen sententiae vir singulari eruditione J. V. Leclerc favebat (2).

Definitiones autem ita exaggerat Albertus ut omnia perturbet ac misceat, ne secum quidem ipse concors ; nam inter sanctos quibus septem definitiones imputat, mox nominabit Remigium, Alexandrum (in lib. de Motu cordis), Senecam, Cassiodorum, Augustinum et Johannem Damascenum. Postquam tria promisit, quae definiendo philosophi explanaverunt, duas inter se similli-

(1) V. Essai d'Analyse et de critique sur le texte inédit du traité de l'Ame 1 v. chez Pedone Lauriel.

(2) Vide etiam opus omnibus numeris absolutum quod omni doctrina vir ornatus Æ. Egger edidit : l'Hellénisme en France, Leçons sur l'influence des études grecques dans le développement de la langue et de la littérature françaises, 2 vol. Paris 1869, chez Didier.

mas definitiones ab Aristotele mutuatur, et Avicennae profert sententiam qui stagiritae verba transtulit.

Caeterum, inter Alexandrum et Johannem parum interest; nam eadem reipsa ambo referunt; uterque vero proprium rebus injungit ordinem; nam apud Alexandrum Genesim, opus de Anima et Spiritu, Cassiodorum, Senecam, J. Damascenum et Sanctum Augustinum reperies; sed nobis videtur discipulus serie juncturaque magis pollere. Praeterea acrius animum intendit ut pacem inter veteres philosophos Sanctosque Patres conciliet; atque adeo, vocatur in medium Chalcidius, ut Augustini verbum planius faciat. Imo, quum Senecae sententia novissima omnium profertur, Tractatum de Virtutibus quae ad beatitudinem pertinent jam in conspectu habemus.

3. — Quid de natura Animae et de simplicitate substantiae ejus sentiendum ?

Omnibus praetermissis, quae ad Animam *quantum ad fieri* consideratam pertinent, ea jam videamus quae, ut nostri verba usurpem, *quantum ad esse seu relatum seu absolutum* spectant. Porro tota ratio *esse absoluti* vertitur : primo, in animae substantia a corpore prorsus sejuncta et simplice; secundo, in unitate quae trium facultatum concentum et harmoniam concinnat; tertio, in eo tandem quod anima est imago Dei.

Illam non solum partem substantiae, neque substantialem formam, sed substantiam, esse ut *hoc aliquid*, in promptu est his rationibus demonstrare : Quidquid substantiam movet et regit substantia est ; adde quod non dependere potest ab eo quod movet, neque ullum accidens nobilitate substantiam antecedit. — Item quidquid non mutatur unquam, licet opposita recipiat, substantia dicitur.

Substantiae naturam, ut in tali re, diligenter excutere noster certe debuisset. Sed ut propositum assecutus sit Johannes, non rectam sane ratiocinandi viam inivit ; nam postquam hoc definivit : quidquid substantiam movet et regit substantia est; non pendere substantiam ab eo quod movet profiteri supersedebat.

Ipsum vero loquentem et propriis rationibus animam a corpore prorsus distinctam esse demonstrantem audiamus : « Consequenter ostendendum est de anima quod sit incorporea : ad quod proceditur sic : omne corpus subjacet omnibus sensibus corporalibus, aut quibusdam ; anima vero nec subjacet omnibus nec quibusdam ; ergo anima non est corpus. — Item, omne illud cujus qualitates non percipiuntur sensu corporeo est incorporeum ; talis est anima ; ergo est anima incorporea. — Item, omne corporeum habet extensionem dimensivam ; anima rationalis non habet dimensivam extensionem ; ergo est incorporea. Probatio minoris patet ex

comparatione virtutis imaginativae, et memorativae et intellectivae ; unde manifestum est quod similitudines receptae in anima non sunt ibi dimensive, sed modo simplici. Si enim essent dimensive, cum infinita possint imaginari, anima esset infinitae dimensionis. Item nullum corporeum comprehensivum est incorporei et spiritualis ; anima rationalis comprehensiva est incorporei et spiritualis ; ergo non est corporea.

Johannis argumenta assidue perpendenti succurrit ea in aequalium nostrorum scholis trita esse atque hodie apud omnes innotescere ; quae breviter ita noster exponit, ut, inter se alia ex aliis nectantur. Minoris probationem tertii argumenti quum exponit, viam ingreditur quam nonnulli presserunt aetatis nostrae philosophi.

Quoties enim apud *Laromiguière* et *V. Cousin* occurrerunt eae rationes statuentium animam non hanc aut illam corporis esse partem ; nam simul atque in variis corporis partibus afficimur, nobis inesse semper idem quod sentit certissima scientia et clamante conscientia pronuntiamus. Memoria indiget una eademque causa (animo scilicet), quae praesentes seu imagines seu affectus cum praeteritis conferat. Imo, rerum imagines mensurae si subjaceant, nullo inter se modo possint conferri ; nam omni comparatione prohiberemur, nisi termini in aliquid unum atque insecabile convenirent. Unde sensus et affectus omnes quos incitata organa, ut ita dicam,

eliciunt, a mente ipsa recolligi, et in communi sensorio percipi Scholastici profitebantur. Adde quod partium sectio in infinitum, obstat ne corpus ea quae mentis ad operationes attinent unquam possit comprehendere.

Hîc duo capita verborum potius quam rerum dissensionem videntur inducere; quorum unum : *quod anima sit simplex ;* alterum autem : *de Simplicitate Animae ; quod anima non habet partes integrales,* inscribitur.

Porro ipsam animam ab omni corporis concretione sejunctam esse variis argumentis confirmat quorum aliqua vetustate obsoleverunt, dum ea scientiae indefesso cursu progredientes jacere et quotidie corruere patiuntur. Quid sibi vult etiam illud de quantitate continua effatum, quam animae potius quam corpori attribuere debuisset quum *quanto continuo* carere omne corpus ratio mathematica hodie evincat. — Item non maxima gratia erit hodie apud philosophos haec positio : « si anima esset quanta, ergo esset major in majori corpore, et minor in minori, et augmentando corpore augmentaretur,et per consequens ergo et substantia et omnis virtus ipsius ; essent ergo sapientiores majores corpore, et ingeniosiores senes, et parvi corpore insipientiores et rudiores, quod patet esse falsum. »

Aptius vero animadvertit ratione potius similitudinis quam varietate compositionis partes animae tribui. Sed mox varia de partibus et toto

loca afferens, mutato ordine, in caput sequens incurrere videtur, interdum tamen ad propositum reversurus.

Ubi tandem ad quaestionem ultimam ventum est, Sancti Augustini locum refert quod omne *quantum* seu ad mensuram seu ad virtutem docet attinere : « Dicendum ergo quod anima in potentiis est totum virtuale ex quantitate virium, sicut corpus est totum integrale ex quantitate situali partium. »

Talia fusius tractando Johannes, varia miscet quae aptiorem locum rursus in sequenti capitulo requirerent, et Psychologiam Logicae mutans saepius, argumenti sententiam concludit tandem: « Item cum in spirituali creatura sit differentia ejus *quod est* et *quo est*, ibi est compositio subjecti et accidentis, non tamen est ibi compositio materiae et formae... »

Librum de Anima et Spiritu a Sancto Augustino scriptum fuisse arbitratur Johannes (1) ; ergo multos summa reverentia locos ab eo seu ad ordiendum, seu ad exponendum seu ad concludendum mutuatur. Illo auctore, unam et eamdem profitetur animae esse substantiam, quamvis diversae facultates diversis nominibus nuncupentur.

Hîc Johannes Aristotelem sequitur his fere

(1) Ille liber cistorciensis monachi cujusdam fraude Augustino diutius adscriptus fuit, donec eruditissimorum divi Augustini editorum operâ, sua demùm cuique tributa fuerint.

verbis agentem : « Perspicuum igitur est, unam animae rationem esse, perinde atque figurae. Neque enim ulla figura praeter triangulum est, et eas quae deinceps sunt collocatae, neque hic anima ulla praeter eas quas diximus etc., etc. At vero quemadmodum in figuris, sic et in anima fit. Nam tam in figuris quam in animantibus, in eo quod deinceps est collocatum id inest potentia, quod illo est prius, in quadrato namque triangulus, et in sensitivo vegetativum inest, ut patet. » (1)

Locum illum numerorum exemplo aliàs illustravit Stagirita (2) ; nec immerito. Etenim numeri seriantur per additionem aut subtractionem unitatis, ita quidem, ut numerus superior numerum inferiorem contineat, insuperque unitate eum excedat. Jam, quandoquidem numerus superior, utputa denarius, non per alium numerum est novenarius, aut octavus, et per alium denarius ; atque pentagonus non per aliam figuram est tetragonus, per aliam trigonus, et per aliam pentagonus ; ita homo non habet per aliam animam vim rationalem, per aliam vim sensibilem, per aliam vim vegetabilem, sed omnibus his facultatibus unica anima satis est (3).

Haec in verba commentaria componens vir

(1) Cf. de An. lib. II cap. 3.

(2) In Metaph. 8.

(3) Cf. St-Thom. de Spirit. creat. a. 3. c. — I, q. LXXVI a. 3. c.

omni doctrina ornatus B. St-Hilaire, quam jure ac merito animadvertit aequales nostros, in scientiis tam proficientes quam qui maxime, nunquam majoris momenti effata protulisse. Ne quis igitur nos rapiat in invidiam detrahendi de laude magni philosophiae *positivae* Antistitis, si id contendamus Aristotelem et Scholasticos illi spem nova pangendi praecidisse. Proinde propositum assequitur Johannes optime statuens : rationali facultati non parvum impedimentum vim sensitivam importare, quod quis ea tantum lege explanare valeat, ut multiplex animae substantia non secus atque virtus sese explicet. Caeterum nullam conjunctionem et communionem fieri posse, si anima sit congeries quaedam ipsarum complexione acervata. Quî ergo vires inter concentus et conspiratio fieri possunt, nisi in substantiam eamdem coeant? Quoniam igitur omnes inter se quoad virtutem differentes, in homine tamen junguntur, miscentur et coalescunt, *idem esse in subjecto* concludendum est.

Quaedam de Imagine subtilius disseruit Johannes quam quae philosophum deceant. Atque adeo id tantum notabimus : omnia quae ratione carent *ad exemplar* fabricata sunt, homo *ad imaginem*, angelus autem *ad similitudinem* fuit creatus.

4. — Quis sit Animae status in corpore ?

Porro ea quae ad praesentem animae conditionem ejusque in corpore statum pertinent, nunc in medium veniant.

Id primum definit Johannes : Animam nihil aliud esse atque formam corporis atque *endelechiam*, si ipsius verbo uti liceat ; quae non forte, sed suapte natura corpori unitur. Nullum igitur *medium* rationalis animae cum corpore societas postulat. Atque ego non possum quin hunc locum Johannis exordientis cum divi Thomae verbis conferam, ut inde colligam eum eadem plane docere : « Dicendum quod secundum se convenit animae corpori uniri, sicut secundum se convenit corpori levi esse sursum. Et sicut corpus leve manet quidem leve, cum a loco proprio fuerit separatum, cum aptitudine tamen, et inclinatione ad proprium locum ; ita anima humana manet et in suo esse, cum fuerit a corpore separata, habens aptitudinem, et inclinationem naturalem ad corporis unionem » (1).

Protinus ea verba meditentur ii quicumque scholasticos carpere gestientes, illos contendunt plus aequo corpus aspernatos, nullam sensuum rationem habuisse. Talium criminum impetus citra *Summam de Anima,* et *Summam contra gentes* certe deficit, quoniam haec legimus : ani-

(1) V. Summ. I, q. LXXVI a. 1. ad 6.

ma naturali instinctu quodam ad ineundam cum corpore societatem impellitur. Quin etiam, quam procul erraverint omnes qui, consulto contra philosophos mediae aetatis faciunt, ex nonnullis aliis licet conjicere. Nam ut in re paene infinita modum statuamus, documento sint ea quae de *mediorum unientium* doctrina perhibentur. Eam nempe maxima gratia per mediam aetatem apud omnes plurimum valuisse jactitant. Ne miremur eos Johannis opera hactenus inedita non legisse. Sed Guilielmi Alverni saltem sententia neminem latet, quam in elegantissimo opere doctus vir A. Javary sic retulit : « Hic locum addemus, in quo videre est originem intermediorum istorum, apud Cartesii sectatores eo nomine, *les esprits animaux*, saepius usitatorum :

« Visum autem est philosophis qui primi de nuntiis ac deferentibus imperium animae locuti sunt, quod ipsi proximi, primique ejus imperium sentientes, corpora subtilia sunt, quae ipsi spiritus vocaverunt, de quorum natura nullus tractatus eorum adhuc pervenit ad me, sed solum nomen spirituum mihi et aliis posteris reliquisse videntur. Utrum autem sint corpora viva, et, si viva, utrum sensibilia vel insensibilia, an sint res imperfectae nullam per se operationem habentes, sed ministerio solo servientes per semetipsas aut nihil penitus operantes, investigandum ac perscrutandum aliis reliquerunt. »

Caeteroquin potestne aliquid graviori fir-

miorique argumento confirmari quam quae docet ipse Johannes : Omnis medius terminus cum extremis debet convenire ; atqui hinc substantia ab omni corporis concretione segregata, inde corpus ipsum et anima extremorum partes agunt ; ergo medius terminus hinc cum animae natura, inde cum natura corporis aliquid commune habebit. Atque utinam hoc propositum bene tenuisset Johannes, non corporis gaudia et igneam φαντασίαν in mediorum loco posuisset Virgilii carmen praetendens :

Igneus est illis vigor et cœlestis origo.

Imo, quod rationi minus consentaneum est, non delapsus esset ad Physicorum commenta de jungenda inter contraria societate ; neque, inducta quintessentia, quae sicut Deus ex machina supervenit dixisset ovans : haec concedamus, nam objecta solvuntur.

Quid causae sit cur anima cum corpore societatem iniverit? Qui potuit enim Deus optimus animam quam suî similem effinxit vinculis corporis constringere omnibus aerumnis addicti? Nonne satius fuisset nos puris animi voluptatibus fruentes aeterna mentis gaudia continuare? — Non omnino satisfacit objectis Johannes quum respondet nobis corpore opus esse ut ea quae corporis concretione constant noscamus. — Melius sane Gregorius et SS. Patres : vitam certaminis imaginem nobis referre. Nimirum periculi adeundi frequentia militibus dat locum

novas laureas promerendi ; et summa laus summum periculum sequitur. Imo, hinc substantiae omnes vel infimae ad altiorem dignitatis gradum tolluntur, quippe quae animam ipsam in aeternae pacis sedem comitentur. Multi Scholastici quum de sede animae agitur, in sententiam eunt cui paucissimi hodie favent. Nam Aristotelis doctrinam amplexi omnes fere animam in qualibet parte corporis totam esse profitentur. Nimirum haec sequuntur ex definitione animae quae corporis habetur Εντελέχεια. Quare omnes ferme Patres Augustino assentiuntur sic docenti : « Per totum quippe corpus quod animat , non locali diffusione , sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per ejus omnes particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, et in majoribus major, sed alicubi intensius, alicubi remissius, et in omnibus tota, et in singulis tota est. » Atque adeo doctrina Hipponensis episcopi fretus Johannes inter Scholasticorum et XVII[i] saeculi philosophorum immodicas sententias tutissimam viam ingreditur sic statuens : quemadmodum totus est ubique Deus in toto orbe, sic anima in parvo suo mundo, corpore scilicet ; vim tamen majorem in cerebro aut in corde explicat, alibi remissius agens. Non secus ac Deus mundum universum agens virtute praesertim in cœlo tamen esse dicitur.

(1) Epist. CLXVI., c. 11, n. 4.

5. De immortalitate Animae inquiritur.

— Quum argumenta quibus animae immortalitas asseritur, seu communia seu propria Johannes esse dicat, quatuor prima sic exponit :

— Si anima cum corpore extingueretur, quid fieret Dei justitia? Nam bonorum virorum merita felicitas, malorum autem peccata mulcta sequetur.

— De sapientia et bonitate Dei jam conclamatum esset ; res enim eorum qui ipsum colunt parum curat Deus, quoniam apud Scripturam sacram legere est : « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus (1). »

— Summus ordo rebus praeest, hac lege ut, creaturarum series nullo modo interrupta videatur ; quare inter se medio termino ea quae intellectu destituta vegetant et sentiunt et ea quae simplici natura intellectu et incorruptibili praedita sunt, (ut angeli), connecti debent, homine scilicet, cujus corpus corrumpitur, anima vero ad immortalitatem reservatur.

— Materia prima incorruptibilis est quae vocatur *yle ;* a fortiori ergo in forma incorruptibili, suprema forma, anima rationalis scilicet comprehenditur. Quum citra materiam ipsam omnis corruptio deficiat, nullam moram facere debemus

(1) Corinth. xv.

quin colligamus impossibile esse animam rationalem spirituum modo ad nihilum redigi.

Momenta illa rationis quibus animam humanam immortalem esse extrinsecus ostendit Johannes, non eadem qua quondam, apud philosophos hodie gratia valet. Hi etenim prima tantum retinuerunt, duo novissima omittentes.

Nimirum omnis materiae primae et formae supremae sublata fuit auctoritas. Adde quod principium illud quo jubetur omnia continuata serie implicari, nullam apud viros scientiis deditos fidem hodie sibi facit, nisi se intra naturae fines contineat.

Argumenta propria rationem reddunt cur nullam in anima inesse materiam et formam tantopere Johannes contenderit. Anima nempe hoc pacto dissolvi nequit. Imo si qua forma, si qua materia ei tribuatur, aeque impossibile est ut corrumpatur, nam neque sensus, neque intellectus contrariis occurrunt.

Omnia mortalia consenescendo debilitantur donec omnino morte deficiant. Intellectus vero, aetate progrediente, quantas vires explicat! Omnis animi facultas quae peritura est eo magis defatigatur et hebescit quo magis ea utimur ,ut in virtutis sensitivae exemplo patet. Multum autem a more hujus facultatis discrepat intellectus. Omni ergo facultati quae labentibus annis non perficitur, nullus imponetur finis. Quae quum reputamus, documento est intellectus qui quem-

admodum potentia, ita duratione infinitus esse debet. Adde etiam quod splendidius lumen aciem oculorum perstringit, quum contra intelligibilia intelligentiae vires recreent ac reficiant. Intellectus tandem ad veritatem spectat nunquam perituram, ipse igitur nunquam est periturus. Imo naturali impetu ad felicitatem impellimur quam in hac vita nusquam fas est invenire. Substantia a corpore sejungi potest, quum nullo modo corporis eget adminiculo; itaque legimus in scriptura sacra: « in antiquis est sapientia. » (1) Proinde omnem facultatem quae corpori strictiori vinculo alligatur, de medio tolli certum est; contra, vires novas concipit et explicat, quum omnino separatur.

Varios quidem errores amolitur atque amovet Johannes; non satis eleganter tamen ea quae objiciuntur exponit; nam in redundantiam incidit, iterùm reponens differentiam quae inter sensibilia et intelligibilia interest. Non opportune, me judice, inducit philosophos contendentes animam brutorum sensibilem simplicem et ab omni materia sejunctam, quia potest a materia abstrahere species sensibiles per quas fit cognitio, atque ideo eam esse immortalem. Sed quae respondeat ipse legamus : — « Respondeo : — duplex est forma materialis : una quae totaliter innititur et incumbit suae materiae et non regit

(1) Job XII.

nec sustinet eam, sed sustinetur ab ea; et haec proprie forma est corporalis; ut igneitas in igne; alia est cui potius innititur sua materia et sustinetur et regitur ab ea; verumtamen non est operatio hujusmodi formae nisi in sua materia, et per eam; et ideo manifestum est ejus essentiam pendere ex materia. Cum enim omnis operatio ejus ex illa dependeat, ejus essentia est extra materiam otiosa et inutilis, et propter hoc hujusmodi forma deficit, deficiente materia. Cum ergo anima brutalis et vegetabilis sint hujusmodi, erunt materiales et defectibiles secundum naturalem modum. » Non ideo nos arbitramur nodum solvisse Johannem quia distinctiuncularum argutias attulit.

Non pluris facimus ea quae praetexuntur quum virtutem *disponentem* et virtutem *perficientem* nominat. Sed sententia magis placet qua statuit aliquid seu essentia sua, seu quia in consortium cum altero venit, esse immortale. Omnia enim quae creavit Deus perire possunt; alia tamen semper, alia raro in manu ejus sunt. Qui vero anima Dei referret imaginem si morti esset obnoxia?— Aliorum tandem argumentorum subtilitate nos supersedeamus! —

Tractatum de Anima Categoriis Aristotelis accommodatum fuisse nemo non animadvertit. Itaque : anima patiatur necne ; utrum natura

sua an culpa sit *patibilis* anima, id nunc agitur ; donec de *loco* et de *motu* disputet Johannes.

Prior igitur pars Tractatus hoc *Explicit* concluditur :

« Et sic terminatur per adjutorium Jesu Christi tractatus primus qui est de anima secundum substantiam. — Quin, infra legimus :

Incipit tractatus de Viribus animae.

II

DE VIRIBUS ANIMAE

II

DE VIRIBUS ANIMAE

Haec pars posterior uno tenore a capite 59 usque ad caput 119 producitur. Prima caeteroquin verba priori parti continentia manifesto apparent : « *Adjuvante Jesu Christo, expleto Tractatu De Anima secundum substantiam, procedamus ad tractatum De viribus ejus.* »

6. — Utrum Anima suis ab Viribus sejungenda sit ?

Utrum animam a viribus suis sejungere liceat ?... Non continuo, si variis nominibus animae facultates nuncupatae fuerint, nominum quoque distinctio ad substantiam pertinebit. Haud secus ac materiae primae potestas data est omnes formas recipiendi, neque tamen ab ipsa potestate discrepat, ipsi animae species omnes sive sensibiles, sive intelligibiles recipiendi facultas indita est, neque ab ista facultate unquam secernitur.

At enim in Deo tantum essentia et operatio nunquam separantur. Ergo id *quo est* et id *quo operatur* in anima prorsus distincta esse fateri debemus. Praeterea axiomatis rationem habere necesse est quod his verbis concipitur : Quae-

cumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem. Quoniam igitur facultatem inter et ipsam animam nullum discrimen interest, utpote quae una sit atque simplex, omnes facultates in unum coïre videntur atque optime coalescere. — Addunt alii duplicem esse animae rationem, prout *substantia quaedam* vel substantia *disposita naturalibus habitibus* consideratur. Porro priorem modum intuenti anima non sejungitur a suis facultatibus ; ad alterum autem si respicies, tunc sejungitur. Nam naturales habitus ut qui essentiae accedant eam a facultatibus faciunt prorsus esse distinctam. Nonnulli etiam animam atque ejus vires menti humanae seu a parte mentis tantum inter se differre contendunt. Facultas enim utpote accidens essentiam, quam penes est, sequitur. Caeterùm Augustinus docet animam Memoria, Intelligentia et Voluntate constare, quia iis auxiliantibus suum finem perfectum expletumque omnibus suis numeris et partibus adsequitur. Quare mens, cognitio et caritas non in anima ut in subjecto insunt, ut color in corpore ; eas nempe adventitiorum more anima non recipit. Adde quod recipiendae formae facultas ad infirmitatem accedit propius quam ad virtutem. Omnem materiam et formam antecedunt facultates : quare materiae rei peragendae vim inesse nemo dicere audeat.

Plura sane mutuatur Johannes quam de proprio penu depromit ; et plus aequo moratur

in distinctiuncularum nebulis quae rebus fucum faciunt nedum veritatem tanquam tabulam in bono lumine collocatam exhibeant. Adde quod non semel suis se pungit acuminibus, seu animam *substantiam quamdam, seu dispositam eam naturalibus habitibus* jactitans, apte concludit tamen, et opinionem profert auctoritati Patrum simul et rationi rectae consentaneam.

7. — Quot et quales sint Animae Vires?

Nunc quoniam animae facultates in genera cogere operae pretium esse arbitratus Johannes statuit eas actionibus suis, vel *objectis,* vel organis innotescere, inquirit an prout agilis animi natura se explicat, an prout ad rem spectant vires, an prout organo utuntur se nobis praebeant et in classes distribuantur.

Primo. Illis qui Virium discrimen ab actionum ipsarum discrimine pendere autumant non pauca, atque eadem non parva objiciuntur. Vires enim non eamdem virtutem exserunt, ut patet exemplo animi opinantis, aut aliquid exploratum habentis ; nam variis tum viribus, ipso facto, uteretur. Quin, omnium non idem est impetus; num ideo ei qui ingenii acie pollet, et ei cujus mens hebes et obtusa parum viget vires natura dissimiles sunt attribuendae ?

Non tantum per genera sed et per gradus, prout debilitantur aut convalescunt, animi vires distribuuntur? Numquid etiam alia mutationis

in pejus, alia confirmationis causa erit? Porro tantus est graduum numerus ut in infinitum paene evadat; unde non parvum illi incommodum importat qui in observanda mente humana totus est.

Hoc deinceps definit Johannes : scientiam esse *certam comprehensionem unius contrariorum*; dubitationem vero *privationem comprehensionis alterius contradictoriarum*. Porro quum in privatione et habitu vires differant, ut ipse ait, principii vis infringeretur his verbis concepti : *privatio et habitus nata sunt fieri circa idem.*

Quin etiam, actioni cuique actio contraria opponi potest : quis tamen unam esse facultatem videndi album, alteram autem nigrum videndi contendere audeat?

Genere tandem differunt inter se actiones, ut haec verba : *vegetare*, *sentire*, *intelligere*, innuunt et testantur. Plures tamen sunt vires quibus vegetamus, plures quibus sentimus etc. Ergo vires, prout actiones differunt, non sunt in genera distribuendae.

Secundo. Utrum rerum ipsarum quae nobis occurrunt discrimen, virium etiam discrimen jure ac merito sequitur? Res scilicet quoad speciem differunt, ut nigrum et album, dulce et amarum etc.; Hinc ergo colligendum esset nobis multiplicem videndi facultatem suppetere.

Obstat vero axioma quod praefati sumus : *contraria nata sunt fieri circa idem.*

Tertio. Si quis ad organa respiciens facultates in genera dividere velit, vi cuidam mox occurret cujus organum nullum est, ei nempe qua intelligimus ; num continuo tamen cum caeteris viribus confundetur? Imo pluribus viribus unum organum suppetit, ut lingua, cujus ministerio gustamus et loquimur.

Vis eadem, contra, pluribus organis utitur, utputa tactus, qui per totum corpus diffunditur. Ab organis igitur nos ad alia convertamus.

Ipsae suî discrimen exhibent Vires ; non quod tamen actionum, rerum et organorum differentia omnino sit abjicienda. *Philosophus* enim dixit : *Actus sunt praevii potentiis, et objecta actibus, secundum rationem cognoscendi.*

Una vero vis actionum causa erit, quae intenduntur vel remittuntur, vel lente vel celeriter sese explicant.

Actiones prout *in genere propinquo differunt* vires specie differentes exhibent , utputa videre, audire ; comprehendere et velle. Prout autem *in genere remoto differunt*, vires ostendunt in genere differentes, apprehensio et motus, verbi gratia, discrimen exhibent quod inter apprehendendi et movendi vim interest ; ea porro cum aliis collata genera habentur.

Notandum est tamen unam *Potentiam* nullo organo nullaque re quae sibi occurrat ad operandum indigere : Deus, scilicet, res ipsas absque

imaginibus earum conspicit : omnia quippe novit dummodo seipsum intueatur. Quod ad vires humanae mentis attinet, discrimine extrinsecus petito non indigent ; hoc vero discrimen per actus et per externas res determinatur.

8. — Quid inter agentem et possibilem Intellectum intersit ?

Tanta sunt Johannis merita, ut parum de ipsius laude detrahatur, si, quos ejus errores notaverimus. Ergo fatendum est eum, quum in eo esset ut divisionem Virium auditori proponeret, non parum haesisse. Hoc vitium quidem verbis extenuavit doctissimus vir B. Hauréau, contendens animi arrogantiam et fastum, quum scientia quaevis primum profertur, nullibi nisi apud rerum ignaros et eos qui furta facere student reperiri : neque ego infitias eo.

Sed quum Johannes divisionem quam celeberrimi viri amplexi sunt vult promere, tum certe dat latus, quippe qui a vera Methodo desciscere videatur. Quid causae est enim cur a divo Augustino et a Johanne Damasceno exorsus, Philosophos i-e. Aristotelem et Avicennam, ad calcem tantum appellet ?

Nonne vera Methodus et recta ratio postulabant, ut ab stagirita non secus atque ab Jove principium esset, tunc demum licuisset S S. Patrum doctrinam persequi !

In disputationibus utique, nec paucis nec parvi

momenti, multus est Johannes ; omnia tamen de quibus disseruit in duo capita cogere operae pretium erit quae ad Intellectum et ad Voluntatem pertinent. Ac primum aliquid interesse inter potentiam et habitum statuit noster, hoc definiens, potentiam aeque in contrarios affectus, habitum vero ad affectum aliquem inclinare. Etenim quilibet homo potest aeque laetari aut mœrere ; quidam tamen in laetitiam aut in mœrorem sunt magis propensi. Vires alioquin, ut apprehendunt, aut movent, *Intellectum seu speculativum seu practicum* constituunt. Quaestiones ergo quae sunt de virtute qua intelligimus, sese explicant prout ad organum, aut ad res quae nobis offendunt, aut ad actus et ad distinguendas inter se virtutes respicimus.

Primo. — Non parva est disquisitionis implicatio philosophi organum esse omnino negantis, seu affirmantis aliquod esse organum ; nam si quod sit, qua illud corporis in parte locatum arbitrabimur ? Si nullum virtuti qua intelligimus organum tribuitur, ea omnino a corpore sejuncta videtur. Quaecumque virtus tamen per corporis organum operatur nonnisi res mixtas atque concretas cognoscere potest : quare sic se haberet virtus ea qua intelligimus, si quo unquam organo uteretur. — Item abstrahendo semper formas a materia et a conditionibus materiae injunctis, operatur. Quoniam igitur *omnis operatio consequitur virtutem*, Intellectus ab omni

organo prorsus sejungitur. — Quin, animus in animo pellucet, de organo non item ; nam oculus nunquam se videre potest. — Corpora ipsa ab omni corporum concretione in Intellectu versantur, quia, secundum effatum quod in Scholis viget : *omne cognitum est in cognoscente secundum naturam cognoscentis*. Simplex igitur Intellectus natura, nullo unquam organo utitur.

Atque adeo his concludit verbis noster : « Dicendum ergo quod virtus intellectiva non est in corpore eo quod determinet sibi partem corporis, quia nullius partis corporis est actus sive perfectio, quemadmodum visiva virtus oculi, et auditiva auris, et caeterae : sed est in toto corpore tota, hoc est perfecta, quemadmodum patet ex praedictis. »

Eadem, quum de sede animae ageretur, docentem Johannem non parum nos laudavimus, atque in prima commendatione modestiam ejus posuimus, animam in cerebro et in corde vim majorem intendere profitentis. Hic autem adeo immodicam prae se fert opinionem, ut paucissimi sane in sententiam ejus ituri sint. Quis enim intellectum in qualibet parte corporis totum esse sustineat ? quasi ille manum aut pedem aut quodlibet aliud membrum tam aptum esse credat ad intelligendum quam organa quae in cerebro locata sunt. Nisi forte idem aptissime concludere se autumat dicens : quia nullum intellectui deservit organum, intellectus nullibi

locatur, qui quum nullibi sit, jam ubique est. Adde quod hoc habet omnis doctrina modum excedens ut non constanter loquatur. Ergo se ipsum verberat Johannes alias cellulam aliquam nominans quae a ratiocinandi facultate logisticae nomen invenit.

Secundo. — Res quae Intellectui subjacent non secus atque Intellectus ipse ab omni cum corpore concretione separantur : ideoque intelligibiles nuncupantur. Omnia quae intelligibilia sunt, a materia et a conditionibus materiae injunctis, alia suapte natura (ut spiritus), alia ipsa intelligendi vi, (ut species corporum), abstrahuntur. Haec quae per *considerationem* non autem per *actionem* fiunt ita explanat Avicenna : Externus sensus visus scilicet, imaginem solam formae quae materiae adest, suscipit : hoc autem absente materia vel forma fieri nequit. Tum sensus interior (seu Imaginatio) formam, vel absente materia , abstrahit. Nullo tamen modo sensus interior formam denudat accidentibus ut figura, situ, etc., etc. Tunc judicium paululum supra hunc ordinem erigitur, quae conveniunt, quae non, apprehendens. Intelligendi vis tandem concretam formam a materia ab accidentibus et ab ipsa singularitate sejunctam apprehendit, eamque nudam, simplicem et universam ponit. Porro ea est progredientis animi methodus : Sentire, Imaginari, Judicare, Intelligere. — Quae si ad examen vocantur

nonnulla parte videntur claudicare, quippe quae subtilius excogitata ad ea quae F. Baco *idola theatri* nuncupavit, magis quam ad rerum naturam sunt expressa. Etenim Scholastici in crimen grave incurrerunt quod etiam in nonnullos Cartesianos atque in quosdam nostros aequales redundare potest : Ideam nempe a Judicio longius quam aequum erat distraxerunt ; nemo enim non videt in simplici idea aliquam certe involvi pronuntiationem. Sed haec hactenus.

Tertio. Tertium hoc membrum quartum etiam aliud complectitur; nam actus et distinctio virium arcto quodam societatis vinculo inter se continentur. Caeterum Intellectûs duae sunt partes. Inferior pars cum sentiendi facultate conjuncta est quae *species intelliqibiles suscipit in fantasmatibus*. Ea vis porro non secus atque intellectus ipse separari potest. Eadem est ratio Intellectus possibilis quae tabulae nullis coloribus distinctae : haec nullam referens imaginem ad quamlibet referendam tamen est habilis, utpote quae omnes queat suscipere.

Intellectus pars superior Intellectus agens dicitur, quum Physici doceant eum species intelligibiles retegere, non secus atque lumen colorem quemque retegit spectantis ante oculos. Hoc primae veritatis lumen in nobis, ut ita dicam, imprimitur. Inde in Psalmo : signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.

Intellectus possibilis quatuor species esse se-

quentia exempla demonstrant : puero inest aliqua scribendi facultas ; adultus puer artem scribendi fuit edoctus ; scriptorem invenire est qui artem calleat quam qui maxime ; idem scriptor tandem hic et nunc scribens ante oculos versatur. Prima est vaga quaedam species materiae primae simillima quae nullius formae capax, omnes tamen potest suscipere.

Secundam constituunt principia Intellectùs concipientis ea quae per se nota sunt, utputa : omne totum est majus sua parte ; si ab aequalibus aequalia demes, quae relinquuntur erunt aequalia.

Tertia est intellectus absoluti atque perfecti quem penes sunt conclusiones. Quarta tandem est intellectus dialecticum cursum peragentis. Intellectum agentem aliquem esse manifesto apparere ex his Avicennae verbis Johannes arbitratur : « Anima humana prius est intelligens in potentia, et post, est intelligens in effectu. Omne autem quod exit de potentia in effectum, non exit nisi per causam quae educit illam de potentia in effectum. Sed causa dandi formam intelligibilem non est nisi intelligentia in effectum. Necessario igitur est agens intellectus. »

Haec aliquis, postquam cum Aristotelis placitis (1) et Alexandri Aphrodisiensis (2) commen-

(1) V. de An l. III c. 5.

(2) De An. I b. II c. 13, 14. (Ed. Orelli, 1824.)

tario contulerit, rationis ad trutinam exigere operae pretium esse intelliget. Ea porro vis est Intellectus possibilis ut speciem rerum in se recipiat. Bene se res habet, dummodo nunquam sibi fingat aliquis intellectum *possibilem* dictum fuisse quia *revera* non est. *Possibilis* significat tantùm defectum cognitionis quae a potentia ad actum mox progredietur. Multi quidem philosophi discrimen Intellectus possibilis et agentis sustulerunt; inter quos nullos potiores quam Gabriel Biel, Guilielmum ab Ockam dictum et Leibnizium nominabo. Haec enim primus Guilielmus : « Idem est per omnia intellectus, qui intellectionem producit, et qui in se recipit productam, quamvis termini non sint synonymi (1). » Imo non pauci sunt hodie qui Leibnizio assentiantur contendenti vires quae actum non exserunt nihil esse aliud nisi somniantis animi figmenta aut purum putumque abstrahendi facultatis commentum. Hujus vero sententia si excutietur, quum non neget actum et

(1) In lib. II Sentent dist. XVI dub. 2, fol. 105 vers. Brixiae, 1574. Quum de scholis agitur a quibus mediae aetatis philosophia nomen invenit, subito eadem semper vulgata sententia circumfertur : omnes scilicet unam viam et rationem definiendarum facultatum secutos esse et easdem semper agnovisse. Istam vero enunciationem omnino absonam esse ab iis quae docet Historia quum praedicti Scoti exemplum testatur, tum Guilielmi Alverni opera confirmant. Is enim in vulgata possibilis et agentis Intellectus divisione evertenda multus est : nec parùm gravatur si quando quis eam amplexus sit : « Quoniam enim, multi deglutiunt positiones istas, absque ulla investigatione discussionis et perscrutationis recipientes illas, et etiam consentientes illis, et pro certissimis eas habentes ; conveniens est de ipsis considerationem facere, praesertim quum ex multis causis et rationibus veritas e contrario se habere non immerito videri possit. » (Cap. 7. pp. 3, 4, 5.)

potentiam inter se pugnare, qui fiet unquam ut ejusdem facultatis potentia simul atque actus exhibeantur? Omnem litem, si dicere ausim, componemus si Intellectum agentem non tempore sed natura priorem esse dixerimus. Nam intelligendi vis virtutem qua formas intelligimus, et virtutem qua eas recipimus pariter requirit : nempe idem effectus causas a quibus oritur simul agentes atque in idem, ut ita dicam, concurrentes postulat.

9. — De libero Arbitrio inquiritur.

Virtus qua ad intelligendum movemur hinc ad verum, inde ad bonum se accommodat; movet enim seu natura, seu per apprehensionem. Motus autem naturalis triplex ad bonum supremum (quod dicitur *synderesis*), ad bonum infimum, et ad bonum medium tendit. Bonum supremum seu rationale quod dicitur honestum, sua vi nos trahit et allicit. Bonum infimum seu *secundum quid*, in corporis deliciis positum est. Bonum medium seu naturale dicitur, ut naturalis vivendi, sentiendi, intelligendique appetitus. Vis qua movemur per apprehensionem ad immutabile bonum spectat; ea est enim quasi suprema pars rationis vel intellectus, quae a prima rerum imagine vestigia Trinitatis impressa retinuit et refert. Nimirum Mente servat summae bonitatis quamdam imaginem; Notitiâ eamdem contemplatur; Amore vero illam prosequitur. Hinc illa juris na-

turalis effata : ne facias alii quod tibi non fieri vis ; et iterum, facias alii quod tibi vis fieri.

Virtus quae tendit ad bonum mutabile, ab hocipso bono aut a ratione munus accipit cui a concupiscentia et ab ira nomen inditum est, et exemplo motus membrorum demonstratur. Vis autem quae immota sedet inter utrumque bonum liberum arbitrium nuncupatur, de quo Eccles. : « Dereliquit eum in manu consilii sui : ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei dabitur illi. »

Pauca sane quae ad morum scientiam pertineant proprio marte disquirere animo statuit Johannes ; itaque plura etiam a Damasceno quam a philosophis mutuatus, id definit : voluntatem constare naturali appetitu. Ea porro *Thelesis* dicitur respectu bonorum naturalium quae non possumus non appetere, ut vivere, sentire, intelligere etc. etc. Voluntas autem qua rem aliquam appetimus, *Bulisis* vocatur, respectu bonorum quae possumus velle aut non velle nobis suppetere. Alia autem sunt in nobis (id est possibilia) ; alia a nostra voluntate non pendent (i. e. sunt impossibilia). Nobis licet semper esse frugi ; nobis non semper licet esse episcopis. Voluntatis motus quo inquirimus de iis quae in nobis est facere, consilium habetur. Quum autem melius a bono discernit, dicitur judicium. Haec disponens, sententia est. Deinde post dispositionem electio ; quum operatur, impetus est,

quasi quis eam diceret impetum facientem ad agendum. Quum utitur, tandem dicitur usus.

Ratio judicandi, voluntas autem movendi munus obtinet; quarum concursu liberum constat arbitrium. De quo omnis deliberatio haec est : an in nobis sit? — Quae sint penes nos? — An sit liberum arbitrium? Variae rebus causae Deus, necessitas, fortuna, natura, eventus, vel casus adscribuntur. Num ergo ea quae agunt homines a Deo proficiscuntur? Non ita certe, quippe cui non fas sit injurias omnes quae fiunt inter homines imputare. Si ea quaecumque agunt homines necessitati subjacerent, eadem semper necessaria se haberent. Hoc alioquin necessitas et fortuna differunt quod illa omne tempus, haec autem praestitutum tempus complectitur : quum scimus, verbi gratia, brevi futurum esse ut luna deficiat. Plantae et animalia natura generantur et crescunt ; ea autem ut moveantur non opus est motus principium a longinquo arcessere, utpote quod in ipsis penitus remaneat. Eventui ea subjacent quae rara sunt, et supra opinionis, ut ita dicam, conjectum locantur ; atqui hominum facinora non rara sunt et qualia futura sint saepe conjicere possumus. Eventus etenim constat duarum causarum concursu, quarum principium ab electione oritur. Pone aliquem terram fodientem thesaurum invenisse : neque hic fodiebat ut thesaurum inveniret, neque ille qui aurum recondiderat ideo foderat ut alter id inveniret.

Aliquid igitur praeter quod uterque mente destinaverat, contigit. Casus neque natura neque arte reguntur; eae res enim ratione vitaque destitutae sunt.

Relinquitur ergo ut homo facinorum auctor ipse dicatur. Sin aliter, illi consulendi facultatem dare Deus supersedisset. — Praeterea, in consiliis capiendis qui auctor habetur scit seipsum posse inter patranda facinora quodlibet unum eligere ; inde alteri non immerito existimat liberam electionem suppetere. Bruta vero animantia ineluctabili impetu ad agendum feruntur : inde nunquam habentur laudis digna ; homo contra laudem consequitur, aut in vituperationem incurrit.

Secundo. — Haec in nobis posita esse certissima scientia et clamante conscientia scimus quae nostra voluntate agimus ; adde etiam ea quae laus aut vituperatio consequuntur. Inter haec atque talia eligit Intellectus penes quem facinorum initium est. Saepe tamen evenit ut quibusdam agendis prohibeamur : nam arbitrii nostri non est aliquando ambulare, loqui etc. etc. ; ea ergo non simpliciter sunt in nobis, id est in nostra potestate. Quid ad rem ? respondet Damascenus, dummodo in nobis sit saltem facinoris electio. — At enim quam multa inscii, quam multa vi coacti, sive resistamus, sive cedamus, agimus ! Adde etiam quaestiones quae incidunt de pueris, de furentibus et ebriis, imo de iis qui

mortis timore huc adiguntur ut Christum sub pedibus conjiciant.

Respondet Johannes laudem aut vituperationem illa sequi facinora prout cum delectatione aut cum tristitia perpetrentur : ideo illos qui vim patiuntur misericordia dignos habent. Notandum est autem cum Damasceno, alia esse voluntaria, alia absque omni voluntate peragi, alia autem media dici posse. Ebrius scilicet hominem inscius occidit, non omnino absque voluntate occidit tamen, quia ipse sibi ignorantiae causa est. Voluntas omnino abest quum quis vim passus inferenti vim obsistit. Voluntarii facinoris principium et fons in agente vertitur optime quidem sciente singularia quae *constitutivae particulae* a Rhetoribus vocantur : *quis* egit? *quae* passus est? *quid* actum fuit? *quo* instrumento peractum est? *ubi? Quando? qualiter? propter quid?* — Id medium inter voluntarium et absque omni voluntate patratum facinus dicitur quod calamitatis vitandae causa eligitur : merces, exempli causa, in fluctus projiciuntur ne naufragio pereamus.

Objiciet aliquis pueros qui nunquam fere de rebus consultant, nosque ipsos, quum subito agimus vel volumus, non esse liberos. Respondet Johannes ea praecipue de quibus consultamus in nobis esse. Inde colligere possumus quamdam voluntatem esse secundum electionem et consilium, quamdam vero esse absque electione et

consilio ; atque adeo infantes volentes faciunt, non faciunt autem eligentes; amicus repente, supervenit nobis volentibus, non autem eligentibus. Omnia tandem voluntaria sunt propter quae laetamur, licet ab iis aliquando absit consilium.

Tria quidem divisionis membra proposuerat Johannes ; duo tantum eum retulisse non dubium est ; nam capituli sub fine haec verba eadem manu scripta leguntur : « *haec est ergo divisio virium assignata per Damascenum.* »

Haec attente perpendenti duo primum offendunt; nam bonum supremum Synderesim vocare est certe philosophi contra morem loquentis. Nimirum seu ad usum sermonis, seu ad ipsam verbi informationem respicias, nullo modo Johanni manus dabis. Praeterea quod discrimen inter cognoscendi vim quae fit natura, et eam quae per apprehensionem operatur, parum liquet.

Caeterum Stagiritae dicto audientes Scholastici, triplicem docebant esse vim Intellectus terminos simplices primum et ideas apprehendentis, dein comparatione atque aestimatione utentis ; ratiocinationis discursu tandem a praemissis ad clausulam progredimur. Cognitio qua apprehendimus nihil est, Johanne ipso pronunciante, nisi *apprehensiva enunciatio,* qua duas res existere aut inter se aequales esse profitemur. Non alia docuit Scotus qui talem inter operationem et

enunciationem judicativam non parvum esse discrimen opinabatur. Haec alioquin parum abhorrere ab aestimatione quae modo analysi, modo synthesi apud Kantium constat, certum est. Eorum vero cognitio si ab optimo maximoque Deo nobis injiciatur, quid tandem causae est cur, inter cognitionem naturalem et illam qua apprehendimus eam distinctionem aliud quid quam verborum, nedum rerum dissensionem inducere negemus? Inter philosophos qui Voluntatem et Rationem una jungunt et miscent, et eos qui earumdem discrimen faciunt, diu incertus haesisse Johannes videtur. Omnes vero ambages amovet atque amolitur depromptus e Scriptura sacra locus : *Ante eum vita et mors*, quod placuerit dabitur illi.

Attamen ut exprimendae congruentiae Rationis cum voluntate impar fuerit Johannes, fatendum est neminem acrius quam discipulum ejus Doctorem seraphicum harum virtutum cognationem perspexisse : « Intellectus et Voluntas, ait, se invicem circumincedunt et supra se mutuo reflectuntur » (1).

Num ideo credemus eum ad servum arbitrium inclinatum fuisse ? Minime quidem ; nam liberum arbitrium apud doctorem seraphicum est penes Voluntatem et Rationem ; aut ambarum concursu potius conflatur : « Dicitur esse facul-

(1) In lib. Sent. Dist. XXVII q. 1. a. resol.

tas rationis et voluntatis, sive consensus rationis et voluntatis » (1).

Imo, quum supra se invicem ambae vires reflectuntur firmus inde status sequitur. Vis rationalis igitur aliquid suae virtutis voluntati permittit, ut in electione patet. Voluntas contra propriam aliquam virtutem de suo penu depromptam rationi tradit ; quod manifesto apparet in imperio quum vi voluntatis utitur ratio ut nos ad agendum impellat. Imo si quis ea quae veteribus Doctoribus principiorum loco apponuntur urgere velit, quoniam voluntas et ea quae voluntas agit boni specie intellectui exhibentur, fieri potest ut Voluntas ipsa velit ipsam Volitionem, id est, sibimetipsi se et sua facta ut finem proponat (2). Nam apud divum Thomam legimus : « Voluntas vult se velle, et diligit se diligere. » Nimirum scholasticis Doctoribus praeluserat S. Augustinus sic agens : « Noli ergo mirari si ceteris per liberam voluntatem utimur, etiam ipsa libera voluntate per eam ipsam nos uti posse, ut quodam modo se ipsa utatur voluntas, quae utitur caeteris, sicut seipsam cognoscit ratio, quae cognoscit et caetera. »

Johannis Damasceni doctrina a nostrate non semper fideliter expressa est. Hic enim liberum arbitrium nihil esse nisi Voluntatem profitetur.

(1) In lib. Sentent. Dist. XXIV p. 1. a. 1. q. 3 resol.

(2) Cf. St-Bonav. in lib. Sent. Dist. XXXVIII a. 1. q. 1. ad arg.

Damascenus vero docet voluntatem rationabili motu constare hincque pendere ejus libertatem : Φυσικὸν δὲ τὸ θέλημα λέγοντες, οὐκ ἠναγκασμένον τοῦτο φαμὲν' ἀλλ' αὐτεξούσιον· εἰ γὰρ λογικὸν πάντως καὶ αὐτεξούσιον (1).

Caeterum ea quae ex Tractatu de Fide orthodoxa excerpit Johannes, ut in breve cogat, subobscura esse ne quis miretur, notandum est Damascenum a libertate divina interdum ad liberum angelorum arbitrium transire. Imo, quum liberum hominis arbitrium agitur, tum auctor duplicem Christi naturam appellans, implicatissimam quaestionem novis tricis impedit. Ex hac nota voluntaria facinora nobis exhibet Damascenus : omnia delectationem secum ferunt. Hîc saltem apparent semina quae assiduo labore culta, mox agrum scholasticum luxurianti segete cooperient, quum divi Bonaventurae *Itinerarium mentis ad Deum* et celebrata Aquinatis *Summa* uberrimos alioquin fructus suppeditabunt.

(1) De fide orthodoxa Ed. Lcq. p. 228.

CONCLUDITUR

Fideliter expressam, tanquam in vermiculato emblemate Johannis de Anima doctrinam, et omnia fere quae complectitur membra ante oculos habes. Hanc nonnullis disputationum ambagibus implicitam esse non infitias ibimus ; neque ideo tamen id auctori crimini vertemus quippe quibus temporum rationem habere melius videatur. Quam multi enim quos aetas media tulit doctores, majori subtilitate notam meruerunt, quorum nimiam alioquin credendi asserendique temeritatem noster nunquam est aemulatus !

Caeterum, si quis genuinam philosophiae scholasticae doctrinam puris e fontibus haurire velit, Johannis codices arripiat et manu verset assidua. Nam ipsius Magistri Alexandri Alensis opus perfecit, vestigia premens quae divus Bonaventura, et divus Thomas sequi non dedignati sunt, quamvis majoris subsellii apud posteros habeantur.

Non nemo tamen Johannem carpere gestiet de Philosophia interdum aliquid detrahentem ut Theologiam augeat. Hinc trita illa quibus aures vulgi personant : Scholasticos saepius voluisse

Philosophiam iis officiis fungi quae famulam erga dominam decent. Quod quidem veris rerum vocabulis parum consentaneum esse arbitror. Nam quid mirum si quando voluerint Doctores rationis momenta illum quem latet fides impellere ad credendum, et ei qui jam christianus est opem ferre ut mysteria quae proponit religio, quantum humana imbecillitas patitur, evaleat intelligere?

Una re saltem caeteros aequales praestat Johannes; psychologicam nempe doctrinam, quam alii infinitis paene disquisitionibus mersam in medium contulerant, primus seorsim ab omnibus et in aperto collocavit. Quod si igitur, missis scholarum nugis, non frustra operam navaverit, philosophiam peripateticam, cujus arcana mirum in modum callebat, fidei placitis accommodaturus, imo, non aspernanda *de Anima* et de *Viribus ejus* fuderit, sive ad substantiae naturam, sive ad immortalitatem, sive ad facultates in optimum ordinem redigendas, ad Intellectum et Voluntatem respicimus, hinc colligamus nos eum de Philosophia bene meritum esse.

In hanc sententiam alioquin non pauci iverunt, nam perpetua auctorum testimonia quicumque in Appendice nostra gestiet evolvere, videbit certe Johannem, a tertio decimo saeculo huc usque, apud eruditissimum quemque gratia valuisse. Atque adeo, ne longum faciamus, quoniam operis in limine nonnullos auctores jam

audivimus, satis sit nunc ad calcem, Fratris cujusdam testimonium referre. Is enim, postquam Alex. Alensis, Johannis de Rupella et divi Bonaventurae merita et laudes praedicavit : « Hic Doctorum ternarius, inquit, triplex flos censetur Parisiis. » Proinde, quum Petrum de Alliaco, doctorum aquilam, et J. Gersonem tanti nostrum fecisse adjecerimus, ut, non pauca apud eum delibata ad suum opus ipsi transtulerint, jam silentium faciet tantorum nominum auctoritas, atque nobis peragendi muneris finis imponetur.

APPENDIX

Nomina Auctorum apud quos Johannis mentio incidit.

Thomas Cantipratanus : Liber de Apibus cap. 19 num. 5.

Gerardus de Fracheto; Vitae Fratrum (Praedic.) P.V. Cap IV § 12.

Alvarus Pelagius : de Statu et Planctu Ecclesiae. Libr. II art. 67 Lib. ms. Bibl. nat. nº 3197. Impress. sub num. 3850, 3851, 3852.

Bartholomaeus Pisanus: Liber Conformitatum B. Francisci (Bononiae 1590).

Frater minor : Libri de Anima (ms Sorb. 1794).

Divus Antoninus ; Historiarum parte 3 a Titulo 24 cap. 8. — Lugduni ea officina Juntarum MDLXXXVII.

Trithemius : de scriptoribus ecclesiasticis f° CI (Edit 1512 Parisiis).

Auctor Firmamenti trium ordinum S. Francisci. — Impress. ann. 1512.

Jacobus Joram : Ms. in Bibl. Trecensi : in Catalogo n° 1461 Breve memoriale f° 4.

Gessnerus : Bibl. universalis in f° p. 452.

Marcus Ulyssiponensis : Chronic. Edit. prim. ann. 1556 (a Blancone anno 1604 translat.)

Guilielmus Eysengrinus : Catalogus testium veritatis p. 113 (Excud. Sept. Mayer ann. MCLXV —).

Fr. Johannes Rioche : Compendium Temp. cap. 66 p. 340 (Parisiis 1586).

Rodolphus Tossiniacensis : Histor. seraphicae religionis lib. 11 p. 163 (Venetiis 1586).

Gonzaga : de Scriptoribus franciscan. p. 87, 129, 668 (Romae 1587).

Henricus Willot : Athenae orthodoxorum sodalitii francisc. (Leodii 1598 — 8°).

Possevinus : Apparatus T. 1 p. 936 (Coloniae Agrippinae 1604).

Lucas Waddinghus : Annales ordinis Minorum. — Edit. Lugd 1647. Scriptores ordinis Minorum Romae 1650. —

Arturus a Monasterio : Martyrolog. franciscan. p. 43 (Parisiis, 1638).

Sanderus : Bibl. belgica manuscripta.

Petrus de Alva : Radii solis zeli seraphici p. 1206 (Lovanii MDDLXVI.)

Fr. Michael Angelus a Neapoli : Chronologica historico-legalis f° 24 sub ann. 1242. —

Caesar Egasius Bulaeus : Historia universitatis Parisiensis T. III p. 164, 202. — Catalogus illustrium Academicorum p. 694. —

Ducange. Glossarium ad scriptores..... — col. 141 (Parisiis in fol. 1678).

Fortunatus Hueberus : Menologium p. 247, 499. — (1698).

Casimirius Oudinus : Comment. de Script. Eccl, antiq. T. III. col. 160 (Lipsiae 1722).

F. Johannes a Sancto Antonio : Bibl. univ. franciscana T. II p. 213 (1732).

Fabricius : Lib. IX. 126 (Edit. Mansi) Patavii 1754 in 4°.

Hyacinthus Sbaralea : Supplementum ad Scriptores p. 458 etc., etc. Script. ann. 1759. Edit. ann. 1808. —

Nota. Recentium nomina tantum referre satis est: neminem enim latent opera quae Arcère, Daunou et B. Hauréau feliciter confecerunt.

Mediolani Santonum 2a Decembris die MDCCCLXXIV

H. LUGUET.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d..... Kal. Jan. ann. MDCCCLXXIV,

Facultatis Litterarum in Academia parisiensi decanus,

PATIN.

Typis mandetur,

Academiae parisiensis Rector,

A. MOURIER.